

## GIURISPRUDENZA

---

SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA, Prot. n. 39967/07 CA, *Competentiae*, 16 gennaio 2009 (decreto); Prot. n. 48837/14 CA, *Competentiae*, 5 marzo 2014 (risposta al dubbio).\*

Prot. n. 39967/07 CA  
Competentiae  
(X – Congregatio pro Clericis)

### DECRETUM

Decreto diei 22 decembris 2006, Summus Pontifex Benedictus PP. XVI, audita relatione Em.mi Praefecti Congregationis pro Doctrina Fidei “circa gravem agendi rationem” Rev.di X, “suprema atque inappellabili decisione nullique recurſui obnoxia”, poenam dimissionis e statu clericali eidem sacerdoti irrogavit.

Proinde litteris diei 8 februarii 2007 D.na Y, Delegata Em.mi Archiepiscopi N, praedictum decretum d.no X notificavit, simul vero statuens eum ob dimissionem non amplius habilem esse ab Archidioecesi N recipiendi quamvis sustentationem vel assistentiam sociale (“As a result of your dismissal, you are no longer eligible for any financial support or benefits from the Archdiocese of N”).

Instantia diei 15 februarii 2007, Cl.mus Z, patronus d.ni X, invocato can. 1350,

\* Vedi dopo i testi del decreto e della risposta al dubbio il commento di ILARIA ZUANAZZI, *La competenza della Segnatura Apostolica a trattare le questioni relative alle attribuzioni delle istituzioni curiali: conferme e innovazioni nella costituzione apostolica* Praedicate Evangelium.

§ 2, ab Em.mo Archiepiscopo N reconsiderationem petiit praedictae cessationis cuiusvis sustentationis, contendens illegitimum esse quamvis assistentiam denegare sacerdoti eius aetatis et conditionis, quae autem in eadem instantia explicata non est.

Nulla responsione recepta, Cl.mus Z instantia diei 27 martii 2007 pro d.no X recursum adversus silentium Em.mi Archiepiscopi interposuit apud Congregationem pro Clericis, quae vero die 15 maii 2007, audito Em.mo Archiepiscopo, respondit se instantiam pro competentia ad Congregationem pro Doctrina Fidei transmisisse.

Quam adversus responsionem Cl.mus Z instantia diei 6 iunii 2007 provocavit ad H.S.T., quod die 9 augusti 2007 opportunas notitias petiit ab utraque Congregatione.

Litteris diei 29 februarii 2008, Congregatio pro Doctrina Fidei respondit quod "non intende trattare il ricorso fatto dal Sig. X, ritenendo che l'oggetto di detto ricorso non è di competenza di questo Dicastero". H.S.T. praedictam die 31 martii 2008 responsionem Congregationi pro Clericis transmisit, insistens ut illa pro competentia examinaret recursum d.ni X. Quod Dicasterium respondit se, iuxta litteras Em.mi Secretarii Status diei 21 novembris 2001, censere "any and all hierarchical recourses made by priests who have been dismissed by reason of a gravior delictum fall under the exclusive competence of the Congregation for the Doctrine of the Faith as long as the accusation occurred after 31 July 2001, the date of *Sacramentorum sanctitatis tutela*". Quo non obstante, Congregatio affirmavit se paratam esse ad

instantiam d.ni X considerandam, sed petiit ut H.S.T. prius decisionem super competentia ferret.

Quibus omnibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE  
APOSTOLICAE TRIBUNAL

Ad competentiam Dicasteriorum Curiae Romanae quod attinet, perspecto quod:

- Dicasteria, secundum uniuscuiusque propriam competentiam, ... cognoscunt, quae Christifideles, iure proprio utentes, ad Sedem Apostolicam defecerunt (Const. Ap. *Pastor bonus*, art. 13), quae competentia definitur ratione materiae, nisi aliter expresse cautum sit (*Pastor bonus*, art. 14);

- Conflictus competentiae inter Dicasteria, si qui oriantur, huic Supremo Tribunali subiciantur, nisi Summo Pontifici aliter prospiciendum placuerit (*Pastor bonus*, art. 20);

- Congregatio pro Clericis, firmo iure Episcoporum eorumque Conferentiarum, ea cognoscit, quae presbyteros et diaconos Cleri saecularis respiciunt tum quoad personas, tum quoad pastorale ministerium, tum quoad res, quae ad hoc exercendum iis praesto sunt, atque in hisce omnibus opportuna auxilia Episcopis praebet (*Pastor bonus*, art. 93); ipsa, in specie, competens est ad clericorum vitam, disciplinam, iura atque obligationes quod spectat (*Pastor bonus*, art. 95, § 1) atque prospicit ut clericorum sustentationi ac sociali securitati consulatur (*Pastor bonus*, art. 98);

- Congregatio pro Doctrina Fidei delicta contra fidem necnon graviora delicta



tum contra mores tum in sacramentorum celebratione commissa, quae ipsi delata fuerint, cognoscit atque, ubi opus fuerit, ad canonicas sanctiones declarandas aut irrogandas ad normam iuris, sive communis sive proprii, procedit (*Pastor bonus*, art. 52; cfr. Litt. Ap. motu proprio die 30 aprilis 2001 datae, *Sacramentorum sanctitatis tutela, necnon Epistula ad totius Catholicae Ecclesiae Episcopos aliosque Ordinarios et Hierarchas interesse habentes de delictis gravioribus eidem Congregationi pro Doctrina Fidei reservatis diei 18 maii 2001*);

- Qua *Epistula* edita, Congregatio pro Clericis aliqua dubia Em.mo Card. Secretario Status proposuit de propria competentia in recursibus hierarchicis sacerdotum "accusati di pedofilia" adversus actus administrativos singulares Episcoporum;

- Litteris diei 21 novembris 2001, Em.mus Card. Secretarius Status criteria ad Congregationem pro Clericis transmisit, iuxta quae "i casi giunti dopo la *Epistula* e quelli giunti prima ma sui quali la Congregazione per il Clero non ha ancora apposto le mani, comprese le questioni amministrative dei delitti caduti in prescrizione, dovrebbero essere rimessi alla Congregazione per la Dottrina della Fede";

Ad competentiam in casu quod attinet, considerato quod,

- Controversia non spectat ius clerici ad accipiendum honestam sustentationem et assistentiam socialem, de quibus in cann. 281, §§ 1-2 et 384 (cfr. can. 1350, § 1), sed potius invocatum officium Ordinarium, qui ad normam can. 1350, § 2 curet providere, meliore quo fieri potest modo, dimisso e statu clericali, qui propter poenam vere indigeat;

- Cum praedictum officium caritatis aequitatisque ligamen peculiare habeat cum statu clericali quo prius gaudebat dimissus, Congregatio pro Clericis per se competens habenda est ad cognoscendas instantias hanc materiam respicientes quas dimissi e Clero saeculari ad Sedem Apostolicam deferunt, saltem iure de quo in can. 212, § 2 utentes, attentis etiam iis quae forte in decreto vel sententia ad rem statuta sint;

- Quia vero Congregatio pro Doctrina Fidei casum Rev.di X iam examinaverat, eius dimissionem Summo Pontifici proposuerat et poenam latam dein notificandam curaverat, Congregatio pro Clericis instantiam sacerdotis dimissi ad Congregationem pro Doctrina Fidei pro prudentia remisit, ad mentem praedictae epistolae Em.mi Card. Secretarii Status;

- Cum autem nihil ad rem statutum sit in decreto dimissionis et ipsa Congregatio pro Doctrina Fidei pro sua competentia examen casus iam absolverit, integra habenda est competentia Congregationis pro Clericis;

Praetermissis aliis quaestionibus iuris et facti in examine instantiae adhuc solvendis;

Visis artt. 34, § 3 et 105 Legis propriae H.S.T.;

Quibus omnibus sedulo perpensis, in Congressu, die 16 ianuarii 2009 coram infrascripto Praefecto H.S.T. habito,

decrevit:

Congregationem pro Clericis in casu competentem habendam esse et facto haberi ad instantiam d.ni X examinandam.

Quod decretum notificetur iis quorum  
interest ad omnes iuris effectus.

Datum Romae e Sede huius Supremi  
Tribunalis, die 16 ianuarii 2009

✠ RAIMUNDUS LEO BURKE, *Praefectus*

✠ FRANCISCUS DANEELS, o.praem.,  
*Secretarius*